Kwiatkiewicz Jan

Umbrae Sigismundi Casimiri Polon. Principis

(urzezenie)

Poezya

poezya 2624

VMBRÆ
MINORES
SIGISMVNDI CASIMIRI
Poloniarum & Sueciæ
PRINCIPIS,
Ad Magnos Manes
VLADISLAI IV.
Jteratò obortæ
Ac demùm à Serenissimi Parentis
REGALI MAVSOLÆO
Jn Aulam
Jllustrissimi & Excellentissimi Domini
DNI. ADAMI
KAZANOWSKI,
MARSHALCI CVRIÆ REGNI,
Borissouień. Bielsceń. Soleceń. Coseneń. Neoforeń.
& Wareceń. CAPITANEI.

DEDVCTÆ
Religiosâ manu
Vniûs è Societate IESV
Auditoris, Rhet.

CRACOVIÆ, *In Officina Francisci Cæsarij, S. R. M. Typ.* 1649.



---- Nimiùm properas, & adhuc TVA
MESSIS IN HERBA EST.
Ouid. Heroid. Ep: xvi.

Illuſtriſsimo & Excellentiſsimo Domino,

D. ADAMO
IN CZASNIKI
KAZANOWSKI
MARSCHALCO
CVRIÆ REGNI,

Boriſſouień. Bielſceń. Soleceń. Coſeneń. Neoſorenſi & Warecenſi

CAPITANEO,

Auctor Felicitatem.

S*Eparare Minores Vmbras à Magnis Manibus* VLADISLAI IV. *decorè non potui Illuſtriſſ: Dñe: quia nec* VLADISLAVS *olim ſuperſtes à ſuperſtite* SIGISMVNDO CASIMIRO *abeſſe facilè potuit, cum quo animam penè ac ſpiritum diuiſiſſe videbatur. Illum à latere dimiſit rarò, à corde nunquã. cùm ipſis è venationibus nunquam illo iucundiorem prædam retuliſſet domum, nec triſtiorem paulò poſt è Regia efferri vidiſſet.* Grande *in vtraq; fortuna ſolatium & leuamen! Sed, vt* rarò quod optimum eſt conſeneſcit, *noluère Cælites, Cælorum pignus à mortalibus poſsideri diutiùs. Præmiſerunt ſecuturo Patri Filium, ordine fatorum (ſi ita loqui fas) perturbato. Heu! vulnus Patriæ! Regni orbitas, Comploratio Ordinum, excidium Magnæ Spei* SIGIS-

MVNDVS!

Præfatio.

MVNDVS! *Et pertinebat quidem ad rationem Parentalium* VLADISLAI, *ne Exequiarum occasione Filium à Parente distraheremus, hoc est riuulum à suo fonte. Neq; enim auidæ posterorum memoriæ nosse sufficiet, quos exercitus, quos Duces, quibus in locis fuderit; nisi simul didicerint, quantam in Filio exspectationem genuisset: quorum alterum pacatis quoque desiderauimus in Augustis. Quanquam vel ipsa* VLADISLAI *merita immeritis plecteremus iniuriis, si nec omnia ad feralem pompam decora, nec Regalem in Rogum carissima quæq; pignora iterum produceremus. Barbarum hoc antiquitati, nobis honestum est, quia damus vitam non adimimus: vt quando Parenti renasci in Filio non licuit per ætatem, Filio per immortalitatem in Parente liceret. Nihil egit continuæ felicitatis inuidus Parcarum liuor: Iagellonium distrahere, cùm voluisset Fascem, eandem in Fasciam collegit, quò immaturus Nati Fasciculus, Paternos inter Manipulos, maturior æuo appareret in Augusto. Nec debet videri obsoletus* SIGISMVNDI *Dolor, qui cùm necdum consenuisset, in nuperrimo Reipub. vulnere iterum recruduit. Ita calamitas nulla sola! Non Antigonum hìc refodimus, sed Orbis Poloni Delicium, adeoq; Tuam Illustrissime Domine Auroram, quàm primo veluti in exordio lucis teneræ, teneriùs adamaueras supra omnes. At enim in ipso Augustæ lucis augmento, Sole ad spicam Æstiuæ Virginis declinante spectauimus, immò Tu instar omnium spectasti Occasum Tui Sideris. Quid mirum igitur, si quid nebulæ vmbrarum in Illustri & grandi corde Tuo videamus? Scimus quò attigerit animus, quò collineauerint Tua Vir Illustrissime desideria, quid egeris, quidué in gratiam Gratiosissimi Tui Principis (cuius Nutricius eras) cogitaueris. Sic Fatis & cælo placitum! vt Tuæ & regni spes sub vnam fatalis Augusti venirent falcem. Cæterùm quod vnum superest, Vmbram Minorem Tui & nostri Principis (quem superstitem dilexisti) Tua non expedias ab Aula.*

SEPVLCHRALIS INSCRIPTIO.

Sereniſsimo Principi SIGISMVNDO CASIMIRO POLONIÆ PRINCIPI.

Lege in his Cineribus
Excidium SPEI PVBLICÆ Viator,
In ipsâ herbâ peractum eſt.
Magnitudinem iacturæ penſa ex nomine
SIGISMVNDVS CASIMIRVS
Bullam induens, exuit vitam (Bulla inſignē Pueritiæ.)
Vix ſeptennio Princeps!
Illuſit nefaſtus Aprilis eius ortui,
Ver aperiens nil de vero tulit.
CÆCILIA RENATA quid pareret, niſi cælonatos?
Exſpectas de eo iudicium VLADISLAI?
Illo exſpirante, hic animâ linqui cæpit.
Particulam Auri niſi inderet Natura Regibus
Eſſet SIGISMVNDVS VLADISLAO.
Ceſſerat animæ dimidium Parenti
Heres Paterni Spiritus ex toto futurus.
Sed heu præpoſtera nimis fata!
Illum adulto Vere maturum
Huic vel in æſtate, immaturo
Faſcem Faſciculo adiunxêre.
Præcox Auguſti vindemia

SEPVLCHRALIS
Hanc Patri & Patriæ lacrymam propinauit?
Veris Primitias luctu confudit Sextilis;
Nimirum illud Principis erat
Creſcere tantum in Auguſtum!
Indicauit cælum quid adimeret
Magnæ ruinæ magno fragore præludens:
Pulſari auditæ fores Regiæ
Quò ad hoc ſolum fortuitorum
Oſtentis præpararetur VLADISLAVS.
Sed præuiſa in ſomnis iacula
Patrem nihilo mitiùs transfixêre.
Nullum illo acutius telum expertus
In ſua & Regni præcordia immiſſum.
Non aliàs in fata ſua præſentior
Regum vigilantiſſimus excubabat.
Oculatus alioqui Princeps
Non vidit cælo ſe obnoxium in pignore.
Tutus ſibi ab hoſte foris viſus
Domi vim inſidiantis filij non expauit
Eâ parte Patrem aggreſſi
Quà norât facilè expugnatum iri:
Amoris Regiâ perfoſsâ
Ipſe viuens vltimò, primò moriens
Cor genitori ademit peremitq;
Sed innoxio puerum parricidio
Parens hominum abſoluit demptâ luce.
Quòd ſciret CÆCILIA
Numero Deum impare gaudere ſeptennem tulit
Damnum numeri apud Sarmatas auctura!
Febrilibus pridie exuſtus igniculis
Laurum petijt cum Laurentio.
Dolete quidquid vſpiam eſt Gratiarum
Auguſtam ſpem & partem Orbis

Augu-

INSCRIPTIO.

Angustâ Augustus circumscripsit vrnâ!
Cæterùm ignoscimus iam & Mensi Æstiuo:
Frugis bonæ Messem Optimam
Contulit in horrea Æternitatis.
Caue renoues lacrymas hoc ad bustum Principis
Semel in Sarmatiam peccantis
Quòd solatia non fecit diuturna cùm maxima dedisset,
(Vel:) Quòd solatia non explêrit quæ maxima spopondisset.
Viator: vno omnia lege
In Fasciculo SIGISISMVNDI
Veri Ortum
Occasum Æstati
Autumnum Cælo debet.
Ne quid mortale ageret post facta immortalia
Exemptus Mortalitati est, Anno 1647. 5. Idus Augusti.

CARMEN EXEQVIALE.

SI, qua recens fuerat cum tempore plaga senescit
„ Admissam patiturque manum: si lapsa resurgunt:
„ Si viret hesternis incisa securibus arbor,
„ Auulsæque suis redeunt radicibus herbæ;
Cur noster Patriæque dolor communia nescit
Lenimenta pati? cur immedicabile venis
Vulnus hiat, renouatque nouum noua plaga dolorem?
Cùm semel est accisa, negat reuirescere rursùm
Prima VLADISLAI soboles. non pullulat altæ
„ Planta Spei. Rarò melior maturuit vua.
„ Nititur in vetitum Mors improba: vota Senatûs,
Cæptaque, bustorum finîsse Coronide gaudet.
Hæc cœlum tibi damna placent? dum Regis alumnus
Et Regni Cynosura cadit. fatalis inanem
Nænia vagitum perimit, laurusque cupressum.

 Da cineri

Da cineri ceciniſſe parùm; dimetiar annos
„ Ad numerum SISMVNDE Tuos. Fortuna Potentûm
„ Iſta ſit, vt ſummos pariter miremur & imos!
„ Eſſet in auguſtis aliquod fortaſsè leuamen
„ Funeribus, ſi res caderent conſtanter eâdem
„ Quâ creuêre morâ. ſed humant præcelſa ruinæ!
Septimus Auguſtis frontem redimitus ariſtis.
Æthereâ regione ſtetit, ſudamque repectens Septimo ætatis anno moritur.
Cæſareo ſol Menſe diem; cùm lætus Auitâ
Ludebas SISMVNDE domo. Sed grandior annis,
Neſcio quem virtus ſpondebat ab indole Cyrum.
Iam tunc Auſtriacæ decus imperiale Coronæ
Adijciens Aquilis Aquilas, & fulgura miſcens
Fulguribus, Generique Genus. Superaddita Scirpo
Tænia, felici quæ necteret orbe Polonos.
Fortunate Puer, parui Tibi corporis, hoſpes
Heròúm mens magna fuit, multusque decoro
„ Ore VLADISLAVS. Procerum laus prima Nepotem
„ Progenuiſſe parem. Volucrum Regina columbas
„ Non generat: nec falco gruem: nec miluus olorem,
Dardanides Phrygio tantùm ſe cenſet Iülo.
Talem magnanimo Natum tribuêre Parenti
Suppare Fata gradu. Nec Magni Nominis vmbra
Vana fuit: dotale dabat natura venuſtæ
Frontis ebur, dabat ipſa Roſas: hæc labra corallo,
Ambroſijs tinxitque fauis. toga fulgurat auro,
Ingenuus tenet ora rubor: per colla fluebant
Contortæ deuexa comæ, caſtique pudoris Bona corporis in Sigiſmundo Principe.
Illuxêre faces. duo lumina dixeris aurei
Sideris excubias! Tenerum ſe miſcet herili
„ Maieſtate decus; ſemper dos prima decori
„ Corporis eſt virtus. Nec ab indole ſiſtitur æui
Nondum plenus Honor; magnæ capitolia mentis
Ingreditur, laudemque Patris tener ambit Alumnus.
Hic prior ignarum ſic occupat ore Thalia:
Ne renuas animoſe Puer, Bellona Thaliæ,
Mars Arti, calamoque manus vicina, quietum
Imperij moderatur opus. Mars atque Minerua
Inchoat abſoluitque genus Regale, decetque

Hanc

Hanc contra Bellona ſtetit, cupienſque potiri
Sola, truces ciet ore minas, proprioque rubori
Et iaculi, & chlamydis calidam conduplicat iram;
Tum galeâ puerile caput, criſtaque iocante
Armat, & exiguo Siculi thorace laboris.
Hic meus eſt, Bellona canit. Natumné repellat
Quæ veteres poſſedit Auos? tenet vna Nepotem
Quæ tenuit Bellona Patrem. dabit enſis vtrumque.
Scilicet aſsimilat varias benè lympha figuras:
Albes Cydne vado; Ganges flaueſcit obryzo,
Adria ſæuit aquis, queîs ſuauè rubeſcit Erythra
Natiuam mentita fidem. Mox ſtringit ahenâ
Caſside frontis ebur, laterique accommodat enſem,
Et loricatos nondum pugil, ardet amictus.
„ Par fieri naſcique Bonus. par optat haberi
„ Excellens natura ſuis. Quid longa Parentis
Gaudia, vel magnæ puerum ſolatia curæ.
Quid memorem? Martis cuî nunc inſtillat amorem
Nunc benè compoſitæ tradit documenta iuuentæ.
O noſtri Spes cara thori! Tibi Nate Paternæ
Succedunt decora alta Domûs. Tu creſce nouorum
Olim quæſitor decorum per Compita Famæ.
„ Fortibus eſt fortuna manu. nêu fluxa ſequare
Senſa Deæ. Regnum poſſes ex fronte mereri,
Spondet iamque Ducem celſi nitor igneus Oris;
Creſce animo, grandemque ſacro ſub nomine ſortem
„ Matura. Formoſa vetus premit Omina Nomen.
„ Idque IAGELLONIVM eſt, proprios diſcernere Manes
Quos Fatum confudit atrox. Tu primus humatos
SISMVNDI cineres, inimicaque Fata RENATÆ
„ Suſtolles virtute pari. non Solus anhelo
„ Martis Alexandro gaudebit Amynthius Heros.
Stat certo mea fama gradu. nec ſerica noſtri
Nominis, effætæ temerabunt Stamina Parcæ.
Non viuis connexus amor, meminiſſe ſepultos
„ Deſinit. in prolem tranſcurrit gloria Patrum.
„ Statur prole; Ducum ſtat laus benè feſſa Nepote.
Audijt hæc Lechicæ Pubes gauiſa Coronæ; *Indoles Sigiſmundi Principis.*
Grande aliquid tanto ſecum ſub corde volutans

Lætitiæ non vna ſubeſt gratantis origo
Nam pudor ingenuæ mentis, tranquillaque morum
Temperies, teneroque animus maturior æuo
Indicium ſublime dedit. Sic candor aperti
Proditor ingenij Reges oſtendit in ortu.
En replicat Patris acta Nepos veſtigia magnæ
„ Indolis hæc fuerint. non ſolos vngue Leones
„ Nouimus: eſt Aquilis ſua ſecta ſacrata profanam
Per terram non ſerpit Auis, cûi vaſta præaltam
Pandunt Aſtra viam. Nomen SISMVNDVS Achillis
Aut feret aut faciet. quondam non vana latebit
Auſtriaci Cynoſura Poli; ſed grande per enſes,
Tela per Edonijs ſinuata volatibus, olim
De Luna decus addet Auis. Iam contremit Hæmus;
Clamor & Odryſias variabilis increpat auras,
Magne puer, tacitis votorum impulſe Fauoniîs
Creſce, ſecuturos gemmâ tibi denotet annos
Emeriti Bellona ſagi. te Principe, noſtro
Inſtaurata fluent Marti incrementa, ſecundas
Sarmatiæ paritura vices. ô ſacra Polonæ
ARA SPEI, Columen Patriæ, fida anchora claſsis.
Inde potens laudis vel in ipſo nomine, ſacros,
VLADSLAVS luſtrans Proceres, conferta Trophæis
Atria, & egregij reputans Cunabula Nati,
Vt Scipio Marium, digito commonſtrat, auitâ
Mente SIGISMVNDVM: vires aſſume Polone:
Iſte tuæ virtutis erit Famæque Coloſſus
Quam noſter tibi mucro dedit. me (dicere ſi fas)
Exhibui ſolem, nunc ſi quid ſole ſerenum
Eſt magis, id SISMVNDVS erit. malè ſentiet hoſtis
„ Principis eſſe manus olim longaſque graueſque
Et plenus fert plura ſinus quodcunque capaci
Defuerant me Rege Lecho, dabit æmula proles.
Non Orbis Phaëton (ſint infortunia Phœbi)
Orbis amor, me natus erit: penſate Beati
Indigetes mea damna, Patrum diſpendia tanto
Nomine, in vnius redimentes Nomine prolis.
Iuſtum Fata probant. fors grande loquentis inaudit
Dicta, æqui Regina Fori. tenet ardua lumen
Peruigil & Ratio, & niuei cuſtodia veri

Ara Triplex Vilnæ edita in gratiam Sigiſmundi Principis.

Stipat mucro latus: parcis de caſsíde paruus
Auribus vmbo fluit. tum læto miſta Quiritum
Concilio, legit ora Ducis; nunc ſpargit in omnem
Lumina conſeſſum, quo cum deliberat, acri
Sic præfata ſono. Placet inter cæpta Quirites
Auſpicio meliore placet feſtiua voluptas.
„ Lætis iure meant contermina gaudia rebus,
Quas laxat par ſortis obex auguſta precamur,
Quæ ſoboles Auguſta tegit. Dî veſtra fauore
Omina, ſucceſſuſque nouis ſucceſsibus ornent:
Nunc equidem quò fata trahunt, ſecura ſequatur
Virtus, emeritos cupit alta Puertia Faſces
Et Sceptri dotale decus. Curandus Atlanti
Alcides, qui portet onus, teneroque grauandum
„ Ex humero perdiſcat ebur. fugit illa Darium,
„ Quæ vel Alexandro iuueni Fortuna tenetur.
„ Effætus langueſcit Honos. quid pigra ſequamur
Tempora, fors poterunt hæc inconſulta videri
Cælo. ſic meruit Genitor Proauuſque Nepotis, 1. April. naſcitur 1640.
Si meritis tantùm redeunt, actuſque priores
„ Commendat repetitus Honor, virtuſque reducit
Quos fortuna regit. Præclara coronet Herili
„ Geſta Patrum diadema comâ. Si tanta probamus
Æmathio præſtante, annis iuuenilibus egit.
„ Quid morer Ætatem? ſatis eſt maturus Honori,
„ Qui factis matura gerit. dant acta Coronas.
Protinus arrectos Heroâ voce Dynaſtas
Hortator peruadit amor. peramæna recurſant
Gaudia, & Auguſtas inſcribunt luce Kalendas.
Altior humanâ fuerat reuerentia Formæ?
Explorat quam Cenſor Honos, adſtanſque decoro
Turba ſatellitio. dubios velut Ales alumnos
Iudicio ſolis ſtatuit. Natiua Ceruſſam
„ Sed renuit Species. fucos petit vna ſimultas,
„ Quêis virtus genuina ruit. Tu celſior altâ
Indole, quam conſanguineo dimenſus in Auſtrum,
Ad veteres componis auos. vileſcit acuto
Luminis obtutu Cæſar, Deitatis anhelus, Suetonius in Auguſto.
Auguſtum tituliſque iubar, nec lumine lumen

Commeruit: dum tu radiato congener auro,
Trans orbem, trans Regna vibras graue luminis aurum
Tu lucem cum lacte sacro, sacer ipse bibisti! *Genus paternum maternúque Sigismundi Primi.*
Inque tuam lux cana domum, præcelsaque tot
Intrauit Fortuna gradu. Te digna Potestas
Sic ætas animo cessit, *quererentur vt omnes*
Imperium tibi serò dari. lux arbitra Regni *Claudianus.*
Occultum sinit esse nihil. regnâstis vterque
Tu votis Genitorque manu. Nil penè relictum
Quo virtus merito crescat, vel splendor honore.
At postquam solido poteras vestigia gressu
Figere, qualis eras? seu missile spargere telum
Seu libuit fixisse feras, venator in agros *Venationibus interesse solitus.*
Pellis Amyclæumque canem, Cressamque pharetram
Quam crispauit Onyx; prorsum pharetratus Amorem
Induis, vt Patrium peruadas pectus; & ipse
Venanti sis præda Patri. tentanda ferarum
Tergore tela, truces olim domitura Gelonos.
Sic cum Threyciâ primùm sudaret in hastâ
Flumina lauerunt puerum Rhodopeia Martem.
Cùm vectaris equo, simulacraque Martia ludis,
Quis molles sinuare fugas, quis feruere cursu
Acrior? offerret famulas tibi Pegasus alas,
Portaretque libens, melioraque pondera gestans
Bellerophonteas indignaretur habenas.
O Patriæ Patrona Fides! Regisq; voluptas! *Deliciæ Vladislai Sigism. Princeps.*
Cui condire dapes solitus, libare Falernum!
Nunc Phrygios cinctus: modo Persidis ostro
Quod vibrat epoto gemmatum murice solem
Solis ad inuidiam. cultus modo ferre Gabinos
Nunc Lechici placuêre habitus, nunc Gallica Paru
Ornamenta placent. nunc clauum veste Lacænâ
Fulcit Achæmenium, Tyrijs modò purpura succis
Erubuit, Latium cui subdit Ethruria fucum
Assimulans varios pulchrâ vel ab Iride vultus.
Macte decore Puer vario sub tegmine pallas!
Regnorum pretio, lateri succinge, redemptas:
Diuersæ te gentis herum, his insignibus Orbi
Commonstra, placiturus Amor. si nouimus isto

Te benè

Te bene veſtitu, Lædeum effingis olorem,
Qui ſimul ac ſenſit leti vicinia, lætum
Ad vada Mæandri fatale retexuit Iò.
Ludor? an errantes Erato per ſiſtra loquaci
Plectro agitat digitos, & tinnula dulcè ſonantes
Inſtrumenta lyræ, feſtum Trieterida cauſant.
Ergo parat, matremque præit non paſsibus æquis,
Alternum quatit ille pedem, doctuſque Choreæ
Circuit. Ignarus ſua tum veſtigia Morti
Ponè legi, paſſuſque breues. Is præpete circo
Mox alios inituꝛe Choros, te rebar in amplum
Auſtriacæ decora ampla domûs protendere circum
Quò non PLVS VLTRA cuperet, citraque coruſcum
Porrexiſſe globum. Charites ſed ſæpè Charybdes
Præcipitant. Circus, quo curritur ille viciſsim
Circumit, incautos Chorearum cardine claudens.
Terræ non equidem puncto diſcurrere tutum eſt!
Vidit, & inuiſo feſtinat concita paſſu
Atropos, & frontem relegit, formæque tenorem,
(Prorſum Scena ſumus) quem dum Mors viſa probare
Ilicet elegit, partita quadrantibus horas
Agmine quas rapido torrens deuoluit arena.
Credat, Herodiadem quiſquam, ſalit improba iuxtà, &
Innocuum petit enſe caput, dans crine Cometam.
O aſtûs commenta feri! Pro dira Tyrannis
Ad Reges per Regna puer ne pergeret, illa
Obſtitit. Illa autem? ſed non ſine iudice cælo.
Merſerat vnda diem ſparſo nox humida ſomno
Laſſaque cæruleis inuexerat otia bigis
Cymmerijs nox illa fuit damnoſior vmbris.
Tum funeſta feræ ſumit præludia Scenæ
„ Dira Clotho. Lucem quiſquis mala perpetrat, odit.
Ac ne paciferæ tranquilla per otia noctis
Somno compoſitis intempeſtiua veniret,
Præmonet augurium qualis laturus in orbem
Præceps ſanguineo denuntiat ore Cometes;
Explorat conclaue manu ne ſorte metuque
Prædam nacta, Lechis furtiuos promeret auſus,
Sed lucem ſine luce petit Parca inuida cerni.

Saltatorio orbé orbi æternitatis præluſit paulò poſt lectulo affixus.

Oſtenta mortem Sigiſmundi Principis prænuntians.

Concussæ sonuêre fores. ter conscia fati,
Flebile terrificis gemuit mugitibus Aula
Terrifico stupefacta sono. ter cardine vulso
Afsilit & resilit. Maiestas Principis vna
Arcuit ingressu : Regum pulsata patescunt
Ostia pro libitu, & placito clauduntur eodem.
O Fati secure tui. Decus addite Diuis,
Vsqueadeoné tuis iuuat indormire periclis
Fallor? ab Eóó remeat Prænuntius albæ
Lucis, & in celsum versos temone iugales
Accelerat, Regumque sacras designat in ædes.
„ Mortales sopor altus habet colit æmula veri
„ Somnia mens, cùm sponte celer laxatur Olympus
Et VLADISLAO Scenâ præludit apertâ
CÆCILIS, ac dulcem speculata prehendit Iülum.
Iam satis Arctöâ brumam sectatus in ora
Augusti Narcysse tori? lateasné profundo
Vmbræ stella situ? noui moderamina vitæ,
Exactam cognosco moram. Satis vsque Parenti
Sarmatico fueras, sat longa Tragœdia mundo.
„ Iam cælo mature Puer. Vindemia Præcox
„ Sit vel in Augusto. nunquam non Regibus vlla
„ Maiestas matura fuit, graue fortè videri
Debeat id VLADSLAE tibi; sed grande Deorum
NVMEN, depositum per me tibi credidit ingens
Et voluit te posse frui. iam grande reposcit
Pignus amicitiæ, & tecum dum commoda Regni
Diuidit, hos solùm cineres, hæc propria Lechis
Funeris ossa putes. Satis est audisse loquentem,
Spirantem stupuisse satis. sic profuit orbi
„ Sic tibi. vita breuis nulli est, qui tempus in illâ
„ Quærendæ sibi mortis habet. Sic allubet astris,
„ Seruit & astrorum velo Chorus, & vaga sensit
Luna, nec iniussæ toties redit orbita lucis.
Debetur tua stella polo, quem sponte Poloni
Nominis vmbra petit. quanquam non illa profanam
Circumaget gyrata comam, sed VIRGINIS, astro
Stellatus cui splendet apex. hæc fata recessit.
Quis referat, quantos persensit corde dolores

Fores cubiculi Regij pulsatæ.

Visa in somnis Cæcilia Renata.

Oratio Cæciliæ Renatæ ad Vladislaum.

VLAD-

VLADSLAVS, dominas quoties madefecit oborto
Rore genas, quoties oculos ad tecta retorsit?
Non Alcyonios Niobe sic luxerat actus,
Augusti nec Roma rogos, Priamique cadauer
,, Iliacæ fleuêre nurus. Edocta dolorem
,, Pectora bis metuunt, maioraque vulnera vincit
,, Plaga minor, si quæ spondent præsagia credas.
Interea rabidos permiscet in arce tumultus,
Mors triplici comitata nuru, præcincta frequenti
Morborumque Necisque globo. ferale sonanti
Euibrat è cornu telum, quod fixit inulto
Corde SIGISMVNDI. rigidus dolor omnibus hæsit.
Heu iactâ iacuit prostratus triste sagittâ!
Non aliter gelidæ quæ sita sub Alpibus Idæ
Multifidis confixa cadit vaga Cerua Sarisis.
O quantùm expallet! quantùm mutatus ab illo,
Purpurat igne genas, flammâque rubente febrili
Morte micant oculi. Lacrymas da Lechia, tristes
Flammarum extinctura faces! hos scilicet olim
Igne satur redhibet puero Laurentius ignes!
,, Sollicitum magnis pretium natalibus esse
,, Iuerit inficias, morbos qui ignorat heriles.
O animos Heròë pares! quis credat ab illo
Expauisse sibi mortem? furtiua regessit,
Quæ timuit dare tela palam. timet ignea, quisquis
Igni bella gerit. Quid Mors festina nocendi
Præcipitas irata colos? cur stamina velox
Dignaque perpetuâ florentia fata iuuentâ
Mortiferis adflas odijs? arcessite Manes
Numina, & infesti parcant tot febribus hostes
Hi pereant, quêis vita perit, quêis fama vacillans
Ægrotat, marcetque sui flos integer æui.
Quò recidit tenor ille boni? quò frontis amores?
Ostendent terris hunc perfida lustra, nec vltra
Esse sinent. Sacer est, vt quem DEVS IGNIS adurit.
Pluraque tentâsset, sed tantæ Oracula cladis
,, Ingratâ tulit aure Domus. Spes ampla minaci
,, Omine diminui nequit. Ergo nigrantibus antris
Concitat iratas Acherontius Æacus vmbras.

Dolor Vladislai inopinato Sigismundi ex obitu.

In perui gilio S. Laurentij obijt.

Ille vel Alcidem straturus. at impete tanto
Nil præsigne magis; potuit non digniùs vnquam
Quàm victo Phlegetonte mori. Nunc robore agendum
Magne Puer, superant vires hæc ausa viriles,
„ Non vacat à monstris adeò Princeps tibi. Laudis
Est, niti, quod turba pauet. Subscribet Enyo
Dum superes fera mo nstra Stygis. laudatur vtrumque
Primæ vel summæ momentum rumpere lucis
Accersas dum fata manu. Tunc ilicet antro
Tartareus stetit ore canis; conatur anhelum
Exterrere Ducem: sed sontem terruit insons.
Herculeam quidni timeat fera deuia clauam
Fatalem canibus? Puer, vt consederat, hostem
Victurus, quàm nosse queat. Quid circuis, inquit?
Furtiuos minitante dolos? aliquodné licebat
De puero spondere nefas? tu sacra profanas
Atria, vt arcanam possis exscindere gazam?
„ Et Pueris sua cassis inest, clypeique trilices.
Belligeram præbete facem: VENERANDA, vereri
„ Styx poterit. Multos timeat quem cuncta tremiscunt
Ac vtinam tantos in febrem promeret ausus
Morborum Mortisque timor. pepulisset ad illos
Non facilem mærere patrem, migrare dolores
Qui casûs incæpta noui funesta, reuersans
Grande gemit. Prô! quid reputem mea Nate voluptas,
Auroram caligo premit? malè pressus amæno
Phosphorus exortu, soles non spondet apricos.
O noctis portenta. meos popularis honores
Docta feræ Libitina necis? (nam quæ omina Paruo
„ Febris alit (tutos transit fortuna Penates,
„ Et medio ferit amne rates, queîs carbasa venti
Propellunt! nimium vobis Lechæa propago
Visa potens superi. Thronus & Torus ÆREA NACTVS
LICIA CÆCILIÆ: suppleuit Aranea stamen.
Nec satis est. an fortè meam ipsâ demetat herbâ
Spem, quam Natus alit? cùm cæpit seriùs vrget
Felices tenuare DEVS! mihi parcite Diui
Si fatis indigna loquor: miserescite fatis
„ Et pietas in Rege placet. Reuerentia Regno,

Cacodæmon apparet in agonia constituto.

Verba Sigismundi Principis ad humani generis hostē.

Annibal in hostes igne vsus. Sacer Cereus.

Conquestio acerbior Vladislai de sublato sibi vnico pignore.

Anagramma ex nomine Cæciliæ Renatæ.

„ Ipsaq;

„ Ipſaque Maieſtas aliquà ſuccumbit amori;
„ Nec lugens Rex eſſe nequit ſub ſorte ſiniſtrâ.
Tranſierat iam magna Puer diſcrimina, quando
In longum vergente febri, cæleſtis ab alto
Viſa polo veniſſe Phalanx. trabeata nitorem
Palla vibrat, vultus ſolem referente Pyropo
Quem multus decorauit onyx, interque ſerenas
Prima ſtetit Regina acies: ſolata fauenti
Ore Sigiſmundum. Præmollit Amore Timorem;
Sicque perennantem compellat Puſio MATREM.
O pelagi Terræque potens, quæ cælibe partu
Mater &,& Virgo generas: ſi fortè liceret
Nunc inter Comitem, Comitem me, exire Senatum
A primis hæc vota meis ſunt proxima votis
Æternum pæana darem. Patrona Tuorum
Orbos qui eſſe ſinas? *Aquilæ ſtipulantur eòdem*
Corpus vbi præluſtre patet. Tibi magna Tonantis
O Genitrix, teneros numeraui luſtra per annos,
Septenum ſignans ſepteno ſole Dolorem
Dum ſuper aſtra vehar; volo nil humana morari.
Si vixi tibi Mater ait, tibi Mater eidem
Et moriar ne quæſo vices partire, ſupremâ
Dum nobis in morte natant hæc lumina, VIRGO
Me fidei ſubmitto tuæ, tibi viuere certus
Atque mori. Vix finierat, cùm blandior oris
HEROINA ſacris puerum circumdedit vlnis.
Quid faceret? minimùm terrent ſuprema Puſillum
Funeream tenet ipſe facem, face clarior. Igni
Vtitur Annibalis ritu pugnantis in hoſtem.
Exſtingui potuitné tamen Sol ille? ſupernis
Iam pridem patrios qui contulit ignibus ignes.
Sed qua Coronatum mutilant ſpectacula Menſem
Quæ varios ciet aura Notos? viridaria Pæſto
Æmula, non ſolitum replicant à ſole colorem!
Rex florum demeſſus obit, Reginaque, vultus
Non video Narciſſe tuos! cadit illa reclini
Pars Ceruice, labat ſicco pars altera ſole:
Non fucus violæ, non pictus Adonidis hortus
Noſcitur, interitum latè referentibus herbis

Choricælitum occurrunt Sigiſm. P.

Oratio Sigiſm. ad B. V. M.

Matt: 8.

Verba propria morituri principis.

Iam ſubijtque Ducum, Regumque Roſaria, vectus
Turbo Notis, quibus orſa ſpei præcidat in herba.
Hæc ſtridens. Quiſquamné meo ſe ſubtrahat enſi
Vel Titulos inſcriptus Heri? mihi militat omnis
Quà bello, quà pace manus, non CÆCILIS ipſa
Non falcem SISMVNDE meam de meſſe refelles.
Me miſerum! triplicis num vox fuit iſta ſororis?
Id loquitur Libitina grauis? graditurque per aulam
Ilicet ad tenerum qua flexerat eſſeda Florem
Decoctum ſub ſole graui, ſuccincta ſeuero
Non meritum metit enſe caput, Lechicique decoris
Spes teneras primâ vitæ ſtatione peremit.
Occidis ante diem Flos interciſe Polonis!
Hei mihi nil ex te Lechiæ SISMVNDE relictum eſt.
Ceu dum cæruleo deſæuit Iupiter vdus
Imbre per hortorum cuneos ſternuntur acanthi.
Primus ego ſacris vectigal Manibus addam
Quos longæ fudêre manus. O læue genarum
Frigus, & ô ceruicis ebur: crinale comarum
Vellus, Iaſonio longè præſtantiùs auro!
O ſuadæ mellite latex! ô vena leporis.
Neſtoreos imitata ſonos. Ah! meſsis acerbæ
Prima ſeges! metire tuos Auguſte furores.
Egregiam verò laudem, & ſpolia ampla tuliſtis
Tuque tuumque iubar: Virides afflare nocenter
Faſciculos, lethoque nouas vexare nouales.
Scilicet hæc eſt illa fides? quam degener ipſis
Nominibus tituliſque refers? Tibi Cæſar origo
Prima erat AVGVSTVS. Ludis prænomina tanti
Cæſaris, & veteres auſu corrumpis honores.
„ Sic virtus egreſſa ſuos propero ordine fines
„ A meta procul eſſe nequit. Sic horrea Diuûm
Fruge Iagelloniâ & SCIRPO crinitur Olympus!
O terris Auguſte Puer: te læta iocante — *Ipſis Kalendis April. genitus.*
Aprili Lucina dedit, quò feria triſtem
Luderet in fucum, miſeræque illuderet Aulæ.
Debueras creuiſſe ſolo, dum fortè venires
Dignus in Auguſtum; talem mors vna coronat.
Fallor! an arcanis ploratibus inſonat aula?

Et lacry-

Et lacrymis Aulæa madent? Dolor iste Parentem
Arguit aut Patriam. quid agas Inuicte Deorum
Sanguis, Hyperborei decus insuperabile Sceptri?
Quem nec Sauromates nimirum audaxque Gelonus
Massagetæque Chalybs poterat domuisse, sub vno
Ingemuit telo fati. deflere perennis
SISMVNDVM virtus prohibet? tamen ille Dolorem
Tetrica sic lacrymis in verba cadentibus Orsus:

Luctus Serenissimi primo rumore perculsi de obitu filij.

Regali quicunque stetit malè credulus auro,
Cui pronas gerit aula minas, stipatque cohortes,
Me videat vel te SISMVNDE! Exempla Potestas
Non vnquam potiora tulit, quàm ludicra sit fors
Quàm fragili stent alta loco. collapsa resedit
Pars animi non parua mei. Prô taxea marcet
Sylua comis, hilaresque hederas plorata Cupressus
Excludit. paucos lento Fortuna meatu
„ Dignatur. breuibus momentis maxima cedunt!
Roma breues vtinam populorum nôsset amores!
Tempora si reputes, fueram longæua precatus
Sed mæror longæuus adest! quæ vestra sorores
Argumenta necis? quas inceſtauimus aras?
Dicite post pœnam liceat commissa fateri.
Quæ luimus tantis singultibus? ecce lacertis
Viscera nostra premens, animâque auellit Iülus.
„ Sic ne Deâ natis etiam mors euenit! illa
Non te Cæsaries, non labris Suada renidens
Augustæ nil forma notæ tardauit? & esse
Quidquam Sceptra putem, nisi vano fulgure tectum
Nomen? felices sequeris Mors, suffugis atros.
Si mea sacrilego peterentur viscera ferro,
Vel dubiam mihi fata darent non inuida sortem
Quàm satiùs mea damna, meo medicarer amore?
Heu totus moriar; nostrî pars nulla manebit.
„ Nil petitur leue, qui patitur lugenda perennè.
Per fastos annosque retrò. ô SISMVNDE sequaci
Abreptus fato mihi, Matri redditus ante
Quàm poteras benè nôsse Patrem. Prô sidera quanto
Protinus Imperij repetunt sua pignora damno!
Plura locuturum prohibet dolor; ecce sonorum

Oratio Vladislai expostulantis modestè cum fatis.

Mugijt attonito refugus Pater Istula flexu
Et planxit vada iuncta graui cum murmure, tristes
Exosus gemitusque Ducis, Regnique dolorem.
Adfuit & nigro circumdata Lechia cultu
Obsequijs atrata suis præit Aula, Polonam
Sic luctu comitata Deam. ô prædulce Polorum
Et summum Patriæ funus, Dolopumque ruina!
O spes vana Lechi, cuî ornamenta trophæis
Interserta Patris, SISMVNDI sæcla precabar!
Destituit tot vota DEVS; non Sceptra potentis
Sarmatiæ dabit aula tibi, nec Gentibus vnquam
Nec populis tu iura dabis puer inclyte. Sed nec
Cædes terga Scythæ, Moschumque trucemque Corallum:
Non cristis resupina Caput tibi casis obibit:
Nec tenuis premet arma manus, nec saltibus arctas
Comprêndes genitore feras, non suaue Parenti
Conditas dulci regeres acroamate lænas,
Non thyaso redeunte citas longo ordine turmas
Insignis iam ductor ages, non basia sacro
„ Præbebis libata Patri. Tam siccine Magnus?
„ Magnorum cinis est! ô tristis tristius ipsa
Leti morte genus! Niobæo funere clades
Flebilior verso nutrix Varsauia vultu
Plorabit. sed quis reprimat febrilia Nati
Busta dolor. claudi negat ingens limite fletus.
„ Non equidem solus lectissima corpora Mauors
„ Mors etiam plerumque rapit. sors optima rarò
„ Canuit: hæc strictâ cum se conuoluit in vrnâ
„ Fatali stant cuncta statu. O quæ Istula cernes
Funera, cùm tumulum præterlabêre recentem;
Nec puer Iliaca quisquam de gente Latinos
In tantùm spe tollit auos, nec Romula quondam
Vllo se tantùm tellus iactabat alumno.
Sed quò infelicem cita transuehit aura Poëtam?
„ Inscribo Tumulum: CVM FVNERE PLEBIS, ET IPSO
„ HIC REGNVM CVM REGE IACET. Mors lumine capta
„ Confudit cum plebe Ducem. nec ab Hectore claro
„ Segregat obscurâ genitum de Luce Sinonem.
O grandem superi pænam! euertisse Polonæ

Funda-

Fundamenta Spei! sic MYRRHÆ nexilis ille
FASCICVLVS Patriam cesſit tranſlatus in Oram
Perpetuas vbi veris opes æternaque Maius
Gramina, Pæſtanos longè prægreſſus odores
Educat, Hyblæis procul interfuſa fluentis.
Debuerat ceſſiſſe DEO, Diuûmque ſupernis
Cætibus ARA TRIPLEX. Inſculpto gloria cælo
Soſpitat Heròás! da Lechia frena dolori.
Æſtatem pro vere Lechis, matura beatis
Autumno veniente dedit conuiuia menſis.
At tu qui propior fatis plus corde ſub alto
Angeris extinctumq; doles. VMBRAMQVE MINOREM
Principis atratam lugens deducis in aulam
Viue SIGISMVNDI memor, & Regale Nutritor
Funus ama. Nunquam vetus ille videbitur vlli
Eſſe dolor, tenero cuî orba Polonia luctu
Adgemit, & pueri magnos reminiſcitur actus
Tu tamen ante alios Procerum lectiſsime, caræ
Diligis exuuias animæ, Regnique gementis
Flebile depoſitum deplorataſque dolenti
Pectore condis opes: ſed ſurgentem aſpice ſolem
Lætior occaſus geminos ſolabitur ortus.
Qui famulis, tardè populis cæloque Polono
Occidat, & varias fortunæ neſciat vmbras.

Alludit librum Sigiſmundo P. dicatum, cui titulus ARA TRIPLEX.

EPITAPHIVM
SIGISMVNDO CASIMIRO
Poloniæ Principi.

VLADISLAI IV. & CÆCILIÆ RENATÆ
Natus eidem & Renatus Cælo filius.
Illo
Nec feliciùs quiſquam nec ſplendidius naſci poterat,
Vtrumque à Iagellonicâ & Auſtriacâ
Quà luce quà fortunâ accepit.
Magno paſſu terras ingredienti
Fata breue ſpatium dederunt.
Vt vitæ Terminum pro limine haberet.
Malè tamen dixeris
Parum terris vixiſſe SIGISMVNDVM
Cùm annos quibus nondum prodeſſe poterat
In ſemente reliquiſſet apud ſuos;
Suffecturus olim animandæ Poloniæ
Niſi amari inter nos, & animari deſijſſet.
Martem illi, cum moribus indiderat VLADISLAVS
Sed Patri, quem ſequi debuerat, præiuit ad ſepulchrum.
Summa omnia cum Themiſtocle pollicitus
Pro Miltiadis Trophæo, reliquit Mauſolæum.
Inter oblectamenta prætextæ
Nihil præter arma cum Achille prehendit
Paruo perſimilis Annibali
Palatia in Bellonæ domicilia commutabat.

Vidiſſes

Vidiſſes in pueritiâ SIGISMVNDI
Cyri animum, & aliquid Alexandri Magni.
Dicam : quantumuis auerſa audiat antiquitas
Quidquid illa in ſuorum dilexit indole,
Totum hoc in SIGISMVNDO probauit Polonia.
Vnum illi, ad tantæ felicitatis cumulum
Deeſſe videbatur Imperium.
Quanquam & hoc ille non caruit ſuffragio
Cùm, Patre regnante, animorum Rex eſſet, votis Ciuium coronatus
Ipſo purpurati Laurentij peruigilio
Tulit Priuilegium Laureati;
Leuitæ craticulam in febrili tormento expertus eſt.
Inter ſegetes maturat immaturè
In Faſciculum Æternitatis collectus
FASCEM diminuit Iagellonium.
Et omnis luſus proluſio fuerat ad ſeriam Poloniæ fortunam
Semel iniurius in Sarmatiam exſtitit Auguſtus Menſis,
Cum Auguſtiorem illo Auguſto Principem
In tantas tumuli retruſit anguſtias.
Riſus Aprilium Calendarum
Regi, & Regno lacrymas exciuit in Auguſto
Tardè credidimus natum, tardiùs mortuum;
Sed facetiarum inexperta Mors
Nec ludi didicit nec ludere.
Nimirum illam
Æquè decipere Mortalibus atque excipere impermiſſum.